


kat.komp.
14332.
III Mag. St. Dr. | P

...lexander

...tonii Dolor Ordinum Academicorum
ex fato viri in orbe literario bene meriti.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№. 376.



# DOLOR
## ORDINUM ACADEMICORUM,
ex fato Viri
in orbe literario bene meriti,
*Illustris olim Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini,*
# D.M. ALEXANDRI JAROSZYNSKI,
Philosophiæ DOCTORIS, ejusdemq; in Collegio Minori Senioris Professoris, Ecclesiarum, Archipresbyteralis, Beatissimæ Virginis MARIÆ in Circulo Crac: Pænitentiarij Radyminsciani, Parochialis Cromołoviensis CURATI:

Dum Mortales ejus exuviæ
in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ
tumularentur.

*A*

M. ANTONIO GORCZYNSKI,
Philosophiæ Doctore & Professore, Scholæ SS. CORPORIS CHRISTI Seniore,

lugubri calamo
## CONSIGNATUS,
*Anno Domini 1721. Die 5. Martij.*



CRACOVIÆ; Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustr: & Reverendissimi Episcopi Crac: Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novodvor: Ordinarij Typographi,

14332 III
121. 6.6.6.

# DOLOR
## ORDINUM ACADEMICORUM.

Huc lacrymas, huc gemitus!
Dolor adeſt Academicus.
Neſcio qui magis doleat,
quàm Eruditi?
ignoro qui graviùs ſua pectora laceret,
quàm illi, qui ſuis lacertis erudita
ſufferunt pondera.
Dolor quidem communis eſt,
ſed illis gravior;
quos ſereni vultûs Pallas
in ſuum vocavit conſortium.
Pungunt alios, aliorum mortes;
hîc interimunt.
Quippe Eruditi cùm dolent,
graviter dolent.
Sed tamen & inter Doctos,
gravitas doloris,
penſatur à pondere meritorum.


Liceat quod à vero non abludit ſcribere;
quandoq; dolor menſura eſt
vitæ anteactæ.
Si bene vixeris, ſpera lacrymas,
ominare dolores,
eò majores, quò majora
præmiſeris virtutis tuæ documenta.
Cùm hoc virtutis morum, ac ſcientiarum,
argu-

argumento non quæreris;
ſed videris
olim Doctor in Cathedra;
Nunc noſtri doloris Magiſter in urna;
*Illuſtris olim Clariſsime & Admodum Reverende Domine,*
D. M. ALEXANDER
JAROSZYNSKI,
Philoſophiæ Doctor & Profeſſor,
Collegij Minoris Senior Pater,
Vir uti nunc dolore,
ita;
ſemper æternâ memoriâ digne.
Verè non nomine ſolum, ſed & re ALEXANDER:
Quod olim Macedoni unus non ſuffecerit Orbis.
Ille declaravit ore,
Tu probaſti opere.
Imò quantum facta à verbis diſtant,
tantùm Tu illo dignior,
qui & dicere & facere,
non exigua attentaſti.
Itaq; ab orbe uno, ad alterum progreſſus.
Nos Tui orbos,
in orbita liquiſti lacrymarum.
Debent omninò plures dolores
Vnum modo, proſequi ALEXANDRVM,
qui dùm plurima geſſiſſet,
in plurium affectus involaſſet,
quid ſi non gementium pectorum
optat ſatellitium.

 Hunc

Hunc dotes ſuæ
Illuſtrium Virorum animis,
Clientum pectoribus,
Amicorum cordibus,
veluti gemmam coronæ inſeruerunt.
Illum fatorum domitrix virtus,
Atlas difficultatum labor,
ita extulit,
ut nunquam ima,
ſemper ſumma
de mortuo ALEXANDRO cogitemus.
Facilè hic,
quia in Almæ Matris ſinu educatus,
uno nomine virtutum Iliadem complexus,
ſecuturis per ætatem Profeſſoribus,
ſe ipſum dedit in exemplum.
*Ut magnæ arbores prolixiores umbras jaciunt.*
*Sic magnorum virtutes, in plura ſæcula ſe extendunt.*
Vnus Miltiades tot excitavit Themiſcoles.
Quot per ejus eruditionem progreſſi,
ad Doctoralem pervenerunt Cathedram.
*Magni enim Viri, nunquam procedunt Soli.*
*quos inſigni comitatu, ſuæ ſtipant virtutes.*
Unus tot Magiſtrorum Diſcipulus,
cunctorum aſſecutus mentem;
plurium animorum de ſe exhibuit compendium.
Subivit naturæ viſcera,
prodidit Philoſophorum arcana,
planeq; nihil ignorare voluit,
quod ſcientiam non ſaperet,
& honeſtatem non præſeferret.

Vt

Vt tandem alios erudiret,
ſe alijs ſubjecit informandum,
venturus aliquando ad ſcientiarum portum,
operam ſuam Claſſibus Academicis dedicavit;
ubi ſufficienter inſtructus,
ab alijs inſtruendis non deſtitit.
Sunt Scholæ fulcra Patriæ,
fundamenta Eccleſiæ;
Hinc Claſſiſticus olim Profeſſor,
in illis ſuæ gloriæ, exſtitit Architectus,
& alieni profectus fabricator.
Quisquis noſcere vis Macedonem ex gladio,
noſce hunc ALEXANDRVM ex Stylo:
Ore ſuo, Os D. THOMAM proclamavit;
Illudq; aureum,
quia de meliori luto Profeſſor,
nihil non auro dignum:
& geſſiit & dixit.
Connexa Nomina ALEXANDER & Ariſtoteles,
hinc præeſſe Contubernio Philoſophorum,
non potuit meliùs, quàm ALEXANDER.
Ubi, nè amor Sapientiæ deeſſet,
eum conſiliô accendit,
ſapientiâ animavit.
Inde in Collegij Minoris admiſſus conſortium,
admiſit & curas:
legitimum ducens,
ijſdem humeris, & pondus honoris,
& onus ſufferre ſolicitudinis.

Et licèt ad majora ſua illum duceret virtus,
maluit tamen, inter minores eſſe Senior,
non eminentiâ,
quam excludere conſvevit,
ſed Officiô quia Pater.
Cui quamvis ab hoc honore ſatis fuerit
gravitatis,
Literarium tamen ludum
cordi ſuo fuiſſe demonſtravit:
cùm Facultatis Philoſophicæ DECANUS,
ſub Purpura pro Corona laudum
exſudaverit.
Illâ veſtitus;
mentem prudentiâ, animum induſtriâ,
pulchriùs adornavit.
Sub hac ut Ducis Philoſophici,
nomen impleret;
ex arena literaria,
acſi ex certamine Olympico,
palmas retulit.
Planè vocationis ſuæ conſcius,
æternorum avidus,
hæc quærebat, quæ animum literis,
Animam æterna beatitudine,
exornarent.
His refulgens dotibus,
facilè erga ſe, favores Majorum acclinavit.
Horum pars maxima es,

*Ma-*

*Magnifice, Perillustris & Reverendissime Domine,*

# D. M. BASILI PLASCZEWSKI,

S. Th: DOCTOR & PROFESSOR, Collegij Majoris SENIOR PATER, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICE, Collegiatæ SS. Omniũ Crac: & Parochialis Prosovicensis PRÆPOSITE, in Nasiechovice CURATE, Ordinarie Librorum per Diœcesim Cracov: CENSOR, Contubernij Smieszkoviani PROVISOR, S. R. M. SECRETARIE, Studij Almæ Universitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissime

R E C T O R.

ALEXANDRO huic, non Gordium nodum, sed tuum affectum solvere, fuerat solenne.

Neq; etiam in vestris affectibus cladem experitur;

*Clarissime & Excellentissime Domine,*

# D. M. STANISLAE FILIPOWITZ,

Philosophiæ Doctor, Matheseos Professor, Collega Minor, ejusdemq; Domûs PRÆPOSITE &c.

tum.

*Clarißime, Excellentißime & Admodùm Rñde Domine,*

# D. M. CASIMIRE RELEZYNSKI,

Philoſophiæ Doctor & Profeſſor,
Collega Minor,
ejuſdemq; Domûs CONSILIARIE, &c.
Extremos illius dies
funebri inſtruitis apparatu,
qui, ut vobis incrementum honorum optet,
obſequiô veſtrô effeciſtis,
dent quod vobis decreverint Superi,
uti & mortuo requiem ſempiternam.




BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

I. XXII. 10.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0024850